

Bibliothèque numérique

medic@

**Borie, Philibert - candidat / Boyrot de
Joncheres, Louis Gilbert - président. -
An choreae nocturnae sanitati
nocivae ?**

1785.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°120***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0120](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0120)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCAE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ sextâ
mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXXV.*

M. LUDOVICO GILBERTO BOYROT DE JONCHERES,
Doctore Medico Præsidente.

An choreæ nocturnæ sanitati nocivæ.

QUAM lugenda gentis humanæ conditio! undique morborum & mortis
scaturiunt innumeri fontes; imò ea ipsa quorum beneficio indefinenter
fovetur sustentaturque illius vita, non rarò in illius perniciem conspirant.
Tot verò inter scopulos quibus unoquoque instanti illiduntur mortales, quis

A

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

verè Philosophus non indignabundum se sistat, cùm plerisque conspiciat qui nedum ad sanitatem bonum pretiosissimum aliquid conferant, eam quasi rem minoris momenti habeant. Stulti & infani variâ viâ morbos continuò sibi accersunt, sæpèque ad mortem celeri gradu properant. Non hìc lugebimus tristes eas ambiciosi victimas animi, quæ falso honorum titulo delusæ, aurique sacrâ famè divexatæ, nil moliantur nisi ut scopum attingant, quæque, si ipsas cœca fortuna ab aris suis arceat, mox furoris invidiæque impatientes, cunctis scœvissimis melancholiæ gradibus lentè ad mortem tendant. Falsis idolis litantes, longius à veris naturæ viis deflectunt, quàm ut earum infortunio afficiamur, levamenque adhibere satagamus. Menti verò nostræ dolorem timoremque incutit error eorum qui juvenili audaciâ rapti, voluptatisque illecebris devincti, securos sese jactitent, dùm eheu! *Latet anguis in herbâ*. Quot enim indomito equo fræna dare cupientes, nescii temeritatis poenam luerunt. Quot venatores prostravit incautus ardor? sed vos ô præsertim teneræ puellæ nativo instinctu ad musicen choreasque propulsæ, cavete ne festivas noctes subsequatur luctus. Quot enim inter vos formosissimæ nocturnis choreis imprudentius indulgentes, quasi rosa calore solis adusta nimio, contabuerunt? audite disciteque, si fas sit, cunctis tempestivè sobrièque uti.

I L.

GRESSUS saltusque corporis regulares voci instrumentisque concordēs, saltationem instituunt. Illius cum musice indissolubilis est nexus. Ejus originem perscrutanti facillimè evidenterque patebit eam priscis sæculis viguisse, imò ei pronum erit concludere hanc esse mundo cœvam. Prioribus ævis simplex, mox varias suscepit compositiones, ferè cunctis adaptata fuit, exindèque exorta est confusa saltationum multitudo. Sub ordine tamen quintuplici apprimè collocantur, sacro scilicet, militari, funebri, theatri ac festivo. Choreæ sacræ remotiorem antiquitatem sibi vindicant; ex iis derivarunt cæteræ. Et vero primævi homines in summum naturæ opificem motibus gestibusque festivis grates persolvere debuerunt. Librorum quoque Judaicorum traditio nos edocet saltationem rituum religiosorum maximam in partem venire. Neminem ferè latet eam pariter in paganorum templis viguisse. Saltationis militaris origo inventorisque nomen oblivione consépulta fuere. Pyrrhi illius restauratoris nomine fuit insignita. Ut varias bellicas evolutiones illa referebat, juventutem decebat, & illi maximè proderat. Membris enim mollibus nervosam flexilitatem, durumque robur impertiens, sic intrepidos hostique formidandos milites efformabat. Eæ etiam Achillis inclytorumque sociorum erant deliciæ. Exequiis funebribusque pompis accessit; multi utriusque sexus vultum componebant, motibus gestibusque tristibus mœrorem dispergebant. Maximam Romani ex eâ uti-

litatem perceperunt; Archimimus quidam varia defuncti dotes vitiae gestibus enarrabat, sicque eum vel laudibus honestabat, vel infamiâ deturpabat; quod quidem ad morum integritatem probitatemque haud parum conferebat. Antiqui eâ tragædias distinxerunt & inde choreæ nomen perelegans. Usus tandem invaluit, ut epulis misceretur, & inde festivæ nocturnæque choreæ.

I I I.

CIRCA ritus sacros gymnasticenque diu solummodò versata fuit ars saltatoria. Hanc primi libidinibus intermiscuerunt Romani. Occasionem dederunt feriæ bacchanales quæ mediam ad noctem protractæ mox turpes inter orgias desierunt; postea iis repurgatæ sordibus, nostræ successerunt choreæ. Quantò magis veterum finis nobilior præcellentiorque erat, tantò etiam sanitati tutius conducebat. Et certè ut sanitas vigeat, fluida inter & solida iustum requiritur æquilibrium, quod quidem præcipuè in motûs ac quietis moderamine reponitur. Nam si ignavâ quiete flaccidi torpescant artus, neglectoque motu torqueantur præcordia, non minùs, eo diutiùs perennanti, solvuntur. Felix terque felix igitur qui compos animi patemathum, cuncta lance noverit æquâ componere. Hanc attigisse metam videntur veteres; omnis enim illorum ars gymnastica corporis ad robur conferens, nulla secum trahens incommoda, innumeris morbis præcavebat, multosque profligabat. Legibus naturæ studiosè obtemperantes, ludos inter ipsos sanitatem quærebant; exindè bellicæ laudis scaturiebat fons inexhaustus. Patriæ spes & tutamen florens juvenus, variis exercitiis instructa, mollia respuere, fortia audere ac pati ediscebat. Inde turba heroum, qui laboribus assueti, mortem imò dolorem contemnentes, vinci nesciebant.

I V.

QUO longius à naturæ limitibus recedimus, eò graviora tum mentem, tum corpus obsident mala. Si urbium incolæ auri argentique splendore niteant, rusticorum vultus tranquillitatem præ se fert roseoque colore sanitatis nuntio gaudet. Et certè varia eorum exercitiia præcipuèque saltatio his ut & veteribus profunt, dum in priorum detrimentum ista vergit. Dum ruricolæ puras voluptatis delicias delibare norunt, urbium cives ubique tædio ac fastidio divexantur. Nugis terentes tempus, veræ foelicitatis inscii, voluptatem pretio pœnise non emptam respuunt. Cuncta pervertunt, cunctis quoque ingratis afficiuntur. O tu imprimis chorea, nostro salutanda cultu, cum virentia inter prata salit puella, quot noxas tibi litantibus inter noctes non attulisti? te reverà salubrem, nocivam faciunt minùs apta loca, incongruum tempus aliaque incommoda. Aer enim clausis in atriis igne facibusque calefit, astantium halitibus inquinatur, respirationi noxius evadit, Dyspnæamque affert. Somnus etiam

4

diurnus membra nocturnis exercitiis defatigata ac irritata recreare nequit; tunc oritur calor urens internus, succensa fervent viscera, febris incendia volvens metuenda languentes flaccidosque artus tacito igne depascitur, fluida consumit, addensat, & sic gravissimi exurgunt morbi. Imò cum sæviente hyeme exercentur Choreæ, puellæ levibus indutiis vix vestitæ, voluptate exercitioque in motum actæ, dum cutis madet sudore, non raro frigori incautas sese dant, sicque varios in morbos inflammatorios præcipites ruunt. Et certè stultam illam catervam nocturnas celebrantem choreas, manè aspiciatis. Non lilia mixta rosis juvenilem decorant vultum, non labris insidet purpura; hesternæ nulla formæ remanet gloria, cuncta periire. Ast languens exanguia frigidaque illorum ora occupat pallor; formosum nuper vultum deturpant pustulæ; macies urget, sicca rursus pectora divexat, subsequitur lenta febris, lethifera tabes, sicque levem ob culpam durissimas solvunt poenas.

V.

AST oppones, amabilior sexus? nonnè multi quotidie morbi nocturnis Choreis præcaventur? foedâ chlorosi tentatæ Virgini dulcem offerens medelam chorea, obscuratæ genarum purpuræ pristinum nitorem, deperditumque oculis splendorem refundit. Quæ desidiosam per vitam tristis serpit melancholia, hilares inter noctes è mente quam cruciabat divellitur. Ancipiti medelæ, nimium ne credatis teneræ puellæ. Cavete ne vobis falsâ spe delusis malorum furgat ilias. Nonnè sæpius quæ nocturnis felicius choreis usæ sunt, ipsis postea minùs moderatè indulgentes puellæ, severiùs plectuntur. Nec morosum me arguatis cenforem; vestræ sanitati consulens, dulcem à vobis non voluptatem, at solummodò nocivas arcere delicias, fert animus. Naturam sequentes ducem, ne agricolarum mores despiciatis; felices coloni, quàm sorti vestræ invideo, cum sole declinante inter cererem humi stratam, terram festivis gradibus pulsatis, falcemque deponentes cantu saltuque humiles casus repetitis. Non minùs invideo, cum ridentibus brumis, fidam Pastor amicam proprio splendentem nitore, patentes inter areas adducat, festivas ibi innocuasque exerceat choreas, ingemiscatque quòd tam citò appareat luna. Urgentibus enim matribus nullâ morâ utrinque discedendum est. Talibus vestigiis insistite, tunc sine spinis rosas legetis, mecumque lubenter concludetis.

Ergò nocturnæ choreæ sanitati nocivæ.

Proponebat Parisiis PHILIBERTUS BORIE, Nivernensis, Saluberrimæ
Facultatis Parisiensis Baccalaureus, Theses Author.

A. R. S. H. 1785.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1785.

